

agerent, circa horam nonam dixit diaconus: »Pater, hora refectionis iam instat. Sumamus paululum panis et aquae, quia ita confortati viae quod restat melius consummare poterimus.« Homo Dei respondit: »Tu iuxta necessitatem corporis refectionem percipe, filii; ego non gustabo quicquam, antequam Dominus mihi locum desideratae mansionis ostendat.« Et ille: »Sicut«, inquit, »socii sumus passionis, sic erimus et consolationis.« His dictis, coeperunt iter agere festinato, quia dies iam declinabat et solaris fervor propinquabat occasui. Venerunt autem ad quendam fluvium qui Steinaha nominatur; ambulantesque per decursum ipsius, dum venissent ad rupem, de qua idem cum impetu descendens gurgitem facit speciosum, viderunt ibi plurimos pisces, et imponentes retia sua, coeperunt eos. Igni deinde successo, diaconus pisces assavit et panem posuit super peram. Beatus autem Gallus dum orandi gratia motum ab illo divulsus esset, inter condensa veprum frutecta ambulans et pede haerens, ad terram corruit. Quod diaconus videns, accurrit, ut sublevaret prostratum. Sed vir Dei praescius futurorum: »Sine me«, ait, »haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.« Et cum post orationem surrexisset, sumens virgam colurnam, fecit crucem et fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capsellam, in qua continebantur reliquiae beatae Dei genitricis Mariae et sanctorum martyrum Mauricii et Desiderii. Quam cum in ipsa cruce suspendisset, vocavit diaconum et prostraverunt se pariter in orationem. Tum vir venerabilis huiusmodi preces emisit: »Domine Iesu Christe, qui pro salute humani generis de virgine nasci et mortem subire dignatus es, ne despicias desiderium meum pro pec-

catis meis, sed in honore sanctae genitricis tuae et martyrum confessorumque tuorum praepara in hoc loco habitationem tuis aptam servitii. « Finita oratione, sole occumbente, finitus est dies, et ipsi tandem cum gratiarum actione cibum sumpserunt, rursumque Deo gratias exhibentes, straverunt sibi in terra, ut aliquantulum requiescerent. Sed vir sanctus cum comitem suum alto teneri sopore putaret, surgens prostravit se in figuram crucis ante capsellam et praeces Domino devotas effudit. Interea descendens ursus de monte, micas et fragmenta, quae convivantibus deciderunt, caute legebat. Hoc factum ut vidit homo Dei, dixit ad feram: »Praecipio tibi, bestia, in nomine Domini, tolle lignum et mitte in ignem.« Ad cuius praecceptum belua conversa, validissimum lignum attulit et igni iniecit. At vir benignissimus ad peram accedens, de parvo cellario panem integrum famulanti porrexit et accipienti ita praecepit: »In nomine domini mei Iesu Christi ab hac valle discede et hoc pacto montes et colles circumpositos habeto communes, ut nullum hic hominem, nil de pecoribus laedas.« Dum haec ageretur, diaconus dormire se simulans, quod vir Deo carus gessit cum bestia, considerabat, et surgens, prostravit se ad pedes eius et dixit: »Nunc scio vere Dominum esse tecum, quoniam et bestiae heremi oboediunt tibi.« Ille autem dixit ei: »Cave, ne omnino hoc alicui dixeris, donec videas gloriam Dei.«

12. Nocte igitur exacta, cum lux aurea silvarum inlustraret opaca, diaconus ait: »Pater mi, quid facturi sumus hodie?« At ille respondit: »Obsecro te, fili, ne moleste feras quod dico. Quia Dominus nos fecit quod quaesivimus in-

um
zu
ken
an
die
sie
stre
Sob
tie
zen
tig
und
bein
sah,
Nan
Feu
bracl
Aber
aus
reich
entge
Jesus
gend
dürft
Wäth
schlie
tat; u
»Jetzt
dem
sprach
len, bi
12.
das W
was w
ich bit
Herr t

to, tertia die febre correptus, tantum in brevi eius violentia depressus est, ut nec ad cellam redire nec cibi sustentaculum potuisset percipere. Cumque hac infirmitate per dies quatuordecim laborasset, die sexto decimo mensis Octobris, id est XVII. Kl. Novembris, expletis nonaginta quinque annis suae aetatis in senectute bona, huius vitae liberatus ergastulo, animam meritis plenam felicitibus reddidit bonis inhaesuram perennibus.

30. Cum igitur audisset Iohannes Constantiensis ecclesiae praesul, beatum Gallum apud Arbonam infirmari, ascendens naviculam, potuum et ciborum ea secum generavit, quae infirmitate laboranti noverat congruere, ut videlicet sua visitatione fidissimum refoveret amicum. Cumque portui propinquaret, audivit in domo presbyteri planctum magnum circa funus viri Dei celebrari et interrogavit, quae tanti esset causa ploratus. Audiens autem Gallum venerabilem, firmissimum suae familiaritatis custodem, de huius saeculi emigrasse periculis, misit se in aquam – neque enim poterat propter nimium dolorem sustinere, donec navicula litus attingeret – descendensque cum his qui secum venerant, intravit domum presbyteri, lugubri voce et corporis gestu merorem cordis insinuans. Invenit autem corpus viri sancti iam involutum et in loculo repositum, apertisque sarcophagum et exanime amici cadaver inspiciens, amariorum cum hac voce lacrimas dedit: »Heu, heu pater amate, heu doctor egregie! Cur me de domo patris eductum in his periculis quasi orfanum dimisti et confidentiam meam, quae de tuis consiliis plurimum praesumebam, immatura morte rupisti? Tibi quidem in perceptione praemii, quod tam ardentem desiderabas, haec tua mors est fructuosa, nobis au-